erant angeli dei iacob. sicut in genesi scribitur. Et uocauit nomen iacob loci ma
naim. id est castra. Amasa autem erat filius uiri. qui uocabatur iethra de iehreli. In hebreo
legitur iethra ismahelites. Unde et in paralipomenon ita legitur. Abigail
autem genuit amasa. cuius pater fuit iether ismahelites. Ismahelites idem iether
uocatur. quia filius eius amasa opera ismahelis imitatus. dauid fugientem. nequaquam est
comitatus. cui dixerat. Tui sumus o dauid, et tecum fili isai. In libro uero samue
lis idcirco iethra israhelites uocatur. quia peccatum amase filii eius. quod in dauid
perpetrauerat. ioab eum id est amasan percutiente deletum est. Qui ingressus est ad abiga
il filiam naas sororis saruię. Naas interpretatur coluber. Idcirco coluber. quia
nullum admisisse mortiferum peccatum perhibetur, nisi quod originaliter de ser
pente antiquo contraxerat. Est et naas qui et isai pater dauid. sicut in palaripomenon
demonstratur, ubi enumeratis filiis isai legitur. Quorum sorores fuerunt sar
uia et abigail. Cumque uenisset dauid in castra. id est in manaim, sobi filius naas
de rabbath filiorum ammon et reliqua. Iste sobi filius fuit naas regis, cum quo
pugnauit saul. Quo mortuo dixit dauid. Faciam misericordiam cum anon, sicut fecit pa
ter eius naas mecum. Interempto uero a dauid anon qui in decaluatis seruis suis
iniuriam fecerat. constitutus est ab eodem dauid in loco fratris iste sobi qui ad dauid legitur
uenisse cum centis, et stratoria. et tapetia. et uasa fictilia. et cetera que secuntur
ei optulisse. Fuit autem ibi prelium dispersum super faciem omnis terre, et multo plures
erant quos saltus consumpserat de populo. quam hi quos gladius uorauerat in prelio. Sal
tus hic quod plures consumpsisse quam gladius uorasse legitur. bestias ferocissimas
que in saltu erant hebrei autumant, a quibus plures consumpti. quam gladio uo
rati fuerint. Porro absalon erexerat sibi cum adhuc uiueret titulum. qui est in
ualle regis. Dixerat enim. Non habeo filium, et hoc erit monimentum nominis mei.
Uocauitque titulum nomine suo, et appelatur manus absalon. usque ad diem hanc. Lo
cus hic superiori loco copulandus est. ubi dicitur. Tulit ioab tres lanceas in manu
sua. et infixit eas in corde absalon, cum adhuc palpitaret herens in quercu.
Et hic iungendum est. Porro absalon sibi erexerat cum adhuc uiueret titulum,
qui est in ualle regis. et cetera que secuntur. Tradunt hebrei. quod deposito de quercu pe
tierit sibi inducias. antequam periret. ut faceret sibi titulum ob memoriam sui,
eo quod non haberet filium talem. qui regno dignus esset. Putabat enim filios suos non
solum regno indignos, uerum etiam ob peccatum suum. quod in patrem gesserat. presenti
uita indignos. In quo titulo manum dicitur defixisse. et figuram manus se expressisse,
et ob hoc titulum hoc manus uocari. Uocauitque titulum nomine suo, et appellatur

License: CC-BY-NC – Engelberg, Stiftsbibliothek, Cod. 49, f. f.%2037r – Sancti Hieronymi Hebraicarum Quaestiones (http://www.e-codices.ch/en/bke/0049/f.%2037r)